



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. Quomodo Angelus res naturales cognoscat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

possunt. Jam verò causæ illæ, à quibus dependet futurum latè contingens, vel impediuntur ut in pluribus, vel ut in paucioribus tantum. Si primum, Angeli non possunt habere nisi levem conjecturam de futuro latè contingenti. Si secundum, possunt Angeli naturaliter de futuro latè contingenti moralem habere certitudinem, & quidem eò majorem, quòd causas, à quibus futurum illud dependet, rariùs contingit impediri.

Hinc argue Angelos nequidem circa futura latè contingentia habere posse naturaliter certitudinem, quæ nunquam fallat: moralis enim certitudo qualibet aliquando fallit. Hinc futura latè contingentia certò & absque omni erroris periculo præcognoscere, soli Deo, ut aliquid ipsi proprium, attribuit sacra Scriptura. Sap. c. 8. ubi dicitur de divina Sapientia: *Signa & monstra scit antequàm fiant, & eventus temporum & seculorum.* Hinc, ut ait S. Augustinus in lib. de divinatione c. 6. *In suis prædictionibus demones plerumque falluntur, cum causis naturalibus aliqua, sicut medici, aut nautæ, aut agricola, sed longè acutius, longèque præstantius ... prænoscent.*

Quæres, utrum Angeli possint naturaliter cognoscere mysteria gratiæ futura?

R. Non possunt. Nam mysteria gratiæ futura dependent à solo divinæ voluntatis decreto. Sed actus liberi divinæ voluntatis non possunt naturaliter cognosci ab Angelis, juxta illud Apostoli 1. Cor. c. 2. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Ergo, &c.

Quæres, utrum saltem Angeli possint naturaliter cognoscere mysteria gratiæ postquam facta sunt?

R. Mysteria illa gratiæ vel supernaturalia sunt secundum se, vel supernaturalia sunt secundum modum productionis tantum. Si primum, non possunt naturaliter cognosci ab Angelo. Ratio est, quia sunt in superiori ordine relatè ad res naturales, & ita superant captum intellectus naturalis, qualis est intellectus angelicus. Si secundum, naturaliter cognoscuntur ab Angelo, quia sunt ordinis naturalis, & ita captum intellectus angelici superare non possunt; quamquam modus quo facta sunt, quia supra naturam est, saltem clarè ab eo non possit attingi.

Hinc Angelus non potest naturaliter cognoscere hominem esse justificatum, quia non potest naturaliter cognoscere gratiam sanctificantem, cujus infusione justificatur homo. At potest naturaliter cognoscere hominem resurrexisse, videns hominem antea mortuum, nunc vivere: quamvis naturaliter non possit saltem clarè attingere modum, quo facta est hæc resurrectio.

ARTICULUS III.

Quomodo Angelus res naturales cognoscat.

Responso I. Angelus cum solo concursu sibi connaturaliter debito cognoscit intuitivè, 1. propriam substantiam, & omnes actus suos naturales. 2. Omnes alias substantias, tam materiales quàm spirituales indistantes, seu quibus intimè præsens est. 3. Omnes alias substantias, tam materiales quàm spirituales, intra sphaeram ejus visibilitatis positas.

Ratio est, quia hæc omnia objecta sunt intelligibilia, proportionata intellectui angelico, eique sufficienter applicata ad cognitionem intuitivam, ad quam proinde præter activitatem intellectus angelici, & concursum ei connaturalem, aliquid ulteriùs frustra requireretur. Itaque intellectus angelicus ex intrinseca perfectione determinatus est ad claram horum objectorum ut existentium & præsentium perceptionem, ipsum de eorum existentia & præsentia in eo modo, qui ad intuitionem requiritur, certificantem; unde solo concursu, quem connaturaliter exigit, exhibitio, non potest hæc objecta non sic percipere, adeòque ea non intuitivè cognoscere.

Responso II. Angelus non potest cum concursu sibi connaturaliter debito, & aliis, si quæ sunt, ad intuitivam

cognitionem naturaliter requisitis, intuitivè cognoscere res existentes, extra certum spatium positas: potest tamen eas quantumlibet distantes, abstractivè cognoscere, sicut & res præteritas.

Ratio primæ partis est, quia Angelus quilibet habet sphaeram visibilitatis, tantò quidem majorem, quantò excellentioris est naturæ, sed limitatam; adeòque cujuslibet Angeli potentia videndi non extenditur naturaliter nisi usque ad determinatam aliquam distantiam, ultra quam objecta existentia intueri non potest, nisi per aliquid sibi indebitum, ad intuentum confortetur.

Ratio secundæ partis est, quia homo potest naturaliter res existentes, quantumlibet distantes, abstractivè cognoscere. Ergo à fortiori potest Angelus. Et verò potest Angelus meminisse objecti absentis, quod aliàs vidit; potest & objectum abiens, quod nunquam vidit, nosse per relationem alterius Angeli, &c.

Ratio terciæ partis est, quia Angeli naturaliter reminiscuntur actuum quos elicerunt, eorum quæ gesserunt, pactorum quæ cum hominibus inierunt, &c. Quid autem ad hanc præteritorum vel absentium recordationem in Angelis, præter naturalem intelligendi vim & concursum connaturaliter debitum, requiratur, aliis quibus per otium licet, disputandum relinquimus.

Quæres, utrum Angeli Deum cognoscant naturaliter.

R. 1. Angelus naturaliter cognoscit Deum existere. Nam naturaliter comprehendit substantiam suam. Ergo naturaliter cognoscit evidenter essentialem dependentiam substantiæ suæ à Deo creatore & conservatore, adeòque essentialem existentiam suæ cum existentia Dei creatoris & conservatoris connexionem. Non potest autem hanc connexionem evidenter cognoscere, quin simul & indivisibiliter cognoscat evidenter, non quidem intuitivè, sed abstractivè, actualem & exercitiam Dei existentiam, Ergo, &c.

R. 2. Angelus nunquam cessare potest ab evidenti cognitione, quamvis abstractiva tantum, Dei ut existentis & præsentis. Ratio est, quia nunquam cessare potest à cognitione comprehensiva sui, adeòque nunquam cessare potest ab evidenti cognitione essentialis connexionis existentiam suæ cum existentia Dei creatoris & conservatoris.

R. 3. Angelus naturaliter cognoscit evidenter, licet abstractivè tantum, plerumque perfectiones divinas. Nam naturaliter cognoscit evidenter, licet abstractivè tantum, Deum esse ens à se, ens quo nihil melius esse vel cogitari potest, ens illimitatum in omni genere perfectionis, adeòque ens æternum, immutabile, immentum, immateriale, omnipotens, &c. Hæc enim omnia evidentem habent connexionem cum aſcitate.

R. 4. Angelus non potest naturaliter cognoscere Deum intuitivè. Nam cognitio intuitiva Dei soli Deo connaturalis est. Præterea creatura intellectualis Deum intuitivè videre non potest sine lumine gloriæ. At nulli creaturæ intellectuali connaturale esse potest lumen gloriæ: alioqui creatura intellectualis esset naturaliter beata, impeccabilis, &c. quæ sunt inconvenientia.

ARTICULUS IV.

Utium Angeli inter se colloquantur, & quomodo.

RESPONSIO I.

Angeli colloquantur inter se.
Prob. 1. ex Script. Nam Zachariæ c. 2. dicitur: *Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum.* Et Apocal. c. 7. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis... & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est, &c.* Et 1. Cor. c. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c.*

Prob. 2. ex Patribus. S. Basiliius hom. in verba illa

X 2

Joan-